

Hermann Christoph Engelken

**Programma Lugubre, Quo Justa Funebria ... Dominæ Annæ Sophiæ, Nataë  
Holsteniæ, Pie Defunctæ, A Viduo Moestissimo, Viro ... Domino Johanne Davide  
Spaldingio, J. U. Doctore ... Anno Supra Millesimum Et Septingentesimum  
Quadragesimo, Die 28 Jun. decenter persolvenda, Publice Indicit, Atque Cives  
Academicos ... Invitat**

Rostochii: Typ. Joh. Jacob. Adleri, [1740]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn179406608X>

Druck Freier  Zugang





Circa 80 Proboten Proboten-Programme, meist  
Fotografien in Proboten Längsweisen Familien bzw.  
Größen Heile und dem nächsten Jafafündert.  
Originalstich geordnet.

Litr. A — H.

Im Juni 1859 und dem Neufuß des Graf. Hofwart Piper  
zu Güstrow erworben.

(Zinn und die Familien v. Klein, v. Kravitz u. a.)

82 Stücke

Mklb Gen

2/3I-40



Revis.  
1833.

- F. A. Aepinus, + 1758.  
A. Ahrend, + 1730.  
Anna Kohl, n. Ampel, + 1709.  
Cath. Ampel, vid. Kleinpi, + 1725.  
Magd. Wund, ux. O. P. Möleri, + 1733.  
F. H. Balke, + 1778.  
J. H. Becker, + 1774.  
P. Becker, + 1753.  
J. J. Bentzen, + 1725.  
Cath. Marg. Besselin, vid. Jac. Burgmann, + 1731.  
Just. Reg. Besselin et Ann. U. Hever, vid.  
Ch. M. Hever, Roff, + 1742.  
V. J. Besselin, + 1755.  
Cath. Bloeksdorff, vid. Vic. Puffer,  
+ 1715.  
Cath. Burchard, n. Bourgund, + 1740.  
Ch. M. Burchard, + 1742.  
Jac. Burgmann, + 1724.  
F. H. Burgmann, + 1746.  
J. P. Burgmann, + 1775.  
J. Carmon, + 1743.  
J. H. Carstens, + 1731.  
J. F. Celle, + 1729.  
P. Biese, + 1746.  
Ann. Cath. Coeh, + 1726.  
G. Crause, + 1723.  
Ch. Crule, + 1748.  
J. F. Crull, + 1757.  
J. A. Curtius, + 1740.  
J. Ch. Dancwarth, + 1755.  
Anna Decker, conj. Meinauni, + 1739.  
G. Deharding, + 1747.  
Gert. Jul. Dittmar, ux. J. Carmon.  
Ag. Doercks, conj. F. A. Aepini, + 1736.  
Ch. Doercks, mar. Nettelblatt, + 1753.  
Marg. Doercks, mar. Lief, + 1755.  
J. A. Duve, + 1728.  
Ann. Soph. Eggerdes, ux. G. Ch. Handwigen,  
+ 1743.  
Matth. Joh. Eggerdes, + 1718.  
Matth. Hinr. Eggerdes, + 1722.  
J. L. Engel, + 1758.  
H. A. Engelen, + 1734.  
H. Ch. Engelen, + 1742.  
J. F. Eyllers, + 1749.  
Chr. Ed. Forster, vid. Ch. R. Holten, + 1734.  
Cath. Chr. Fischer, vid. A. Willebrandt,  
+ 1742.  
Hel. de Klein, nat. Gerdjen, + 1730.  
P. Gerling, + 1778.  
H. Goltermann, + 1733.

Ann. El. Groth, vid. Krauel, + 1739.

Alb. Kleins, + 1733.

Matth. Ben. Hering, + 1750.

G. Herkepäus, + 1745.

Cath. Mar. Eyler, geb. Kitten, + 1756.

Ann. Soph. Kolsten, conj. J. D. Spalding, + 1740.

El. Kopp, norm. Crull, + 1766.

Ann. Hedro. Korn, conj. V. J. Bepelin, + 1730.

El. J. Jörck, + 1728.

Joh. Joach. Jörck, + 1729.

P. Chr. Kämpfer, + 1755.

Joh. de Klein, + 1732.

Wend. Kleinschmidt, vid. J. J. Bepelin,  
+ 1726.

Ann. Marg. Knefbeck, conj. H. Golden-  
mann, + 1738.

A. L. Knefbeck, norm. Hoppen, + 1747.

D. H. Koepcken, + 1731.

G. W. Koepcken, + 1732.

F. E. Kohl, + 1738.

Anna Kortholt, vid. J. Lindemanni,  
+ 1743.

A. J. v. Krackevitz, + 1732.

J. Krauel, + 1750.

PROGRAMMA LUGUBRE,

QUO

JUSTA FUNEBRIA

PRÆNOBILISSIMÆ ATQUE CUNCTIS SEXUM SUUM EX-  
ORNANTIBUS VIRTUTIBUS MAXIME CON-  
SPICUÆ, DOMINÆ,

DOMINÆ

ANNÆ SOPHIÆ,

NATÆ HOLSTENIÆ,

PIE DFFUNCTÆ,

57

A VIDUO MOESTISSIMO, VIRO  
PRÆNOBILISSIMO, CONSULTISSIMO, ATQUE  
AMPLISSIMO DOMINO,

DOMINO

JOHANNÉ DAVIDE  
SPALDINGIO,

J. U. DOCTORE SPLENDIDISSIMO, FAUTORE SUO LONGE ÆSTUMATISSIMO,  
ANNO SUPRA MILLESIMUM ET SEPTINGENTESIMUM  
QUADRAGESIMO, DIE 28 JUN,  
decenter perfolvenda,

PUBLICÉ INDICIT,

ATQUE CIVÉS ACADEMICOS OO. HONORATIS-  
SIMOS, SUAVISSIMOS,

AD COHONESTANDAS EXEQUIAS, EA, QUAS FAS EST,  
HUMANITATE CONVOCAT AC INVITAT.

HERMAN. CHRISTOPH. Engelken,

SS. THEOL. DOCT. EJUSQUE PROF. P. O. FAC. THEOL. SEN.


ET h. t. DECAN. ad ÆD. JOH. Past.

hodie Academiæ Rostoch. RECTOR.

---

ROSTOCHII,

Typ. JOH. JACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. ET ACADEM. TYPOGR.



כשהקכה

Ria verba satis notabilia: *Nasci, Renasci & Denasci*, quotidie in cunctis hominum, Christianam fidem profitentium, concionibus personare, atque audiri, nemo inficias ibit, nisi qui ipsi vivæ in faciem contradicere audet experientiæ. *Primum* quidem & *ultimum*, scilicet *Nasci & Denasci*, totum, quaquaversum patet, & varias alit nationes, pervagatur orbem, neque ulla datur regio, aut tractus mundi, ubi duo hæcce non sint in omnium ore. Sed *intermedium*; *Renasci*, Christianorum tantum populo manet pro-

proprium. Næ! nasci homines, in quatuor mundi universi partibus,<sup>3</sup> quas *Europa, Asia, Africa, atque America* nominibus insigniri novimus, quis ambigit? Denasci vero eosdem iterum quis negabit? *Natura sic se habet, ut quomodo initium nobis rerum omnium ortus noster afferat, sic exitum mors, scribente principe eloquentiæ Romanæ, Cicerone, Lib. I. Tusculanarum Quæstionum Cap. 38. Opp. Tom. IV. p. m. 91. Nascuntur ergo mortales ubique locorum in certissimam miseriam. Licet enim, qui regios, principales, generosos natales sortiti sunt, albæ gallinæ videantur filii; Attamen variis pariter tristibus subjacent casibus, neque a jactu infortunii existunt immunes. Diserte percelebris Israeliticæ gentis Dux, Moses, Excellentia annorum nostrorum, ait, est labor & miseria, Ps. XC. 10. Concinunt cum his amice egregia sapientissimi Siracidis verba Cap. XL. 1. sqq. Negotium magnum creatum est omni homini, & jugum grave super filios Adam a die exitus e ventre matris eorum, usque ad diem in sepultura in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timorem cordis sollicitudo expectationis, dies mortis sequitur, a sedente super throno in gloria, & usque ad humiliatum in terram & cinerem, a ferente hyacinthinum & coronam & usque ad circumindutum lino crudo. Ita quoque Pallas apud Euripidem, sequentem instituit querelam:*

Δακρυχέων γενόμεν, καὶ δακρυσας ἀποθνήσκω,  
 Δάκρυσι δ' ἐν πολλοῖς τὸν βίον ἔυρον ὄλον.  
 Ὡ γένος ἀνθρώπων πολυδάκρυτον, ἀδενεές, ὀκλήρον,  
 Συρόμενον κατὰ γῆς, καὶ διαλυόμενον.

i. e. *Lacrymans sum natus, sed & lacrymans morior.  
 In lacrymis universam comperi vitam,  
 O genus hominum lacrymosum, debile, miserabile,  
 Tractum in terra, solutumque.*

Hinc proverbii faciem induisse hanc locutionem: *Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est, accepimus a Desid. Erasmo Roterodamo Adagiorum Chiliade l. Centur. 8. p. m. 315. scribente: Versus est Hesiodi in Libro de Observatione dierum auspicatorum ac inauspicatorum, qui deinde in proverbium abiit, longo hominum ævo probatus, ut apud Gellium refert Phavorinus Philosophus: is est hujusmodi:*

ἄλλοτε πηρὺν πέλει ἡμέρη, ἄλλοτε μήτερο.

*Ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est.*

*Eo versu significatum est, non omni die bene esse posse, sed isto bene atque alio male. Inde translatum, quod matres bene volunt liberis, novercæ oderunt privignos. Proinde Plinius dubitare se dicit, utrum natura sæpius noverca sit, an mater, ut quæ tot venena, tot item remedia progignat. Enim vero postquam nati ac in lucem editi sunt mortales, nonnulli quoque*



4  
eorum per certum temporis spatium vitæ usura fructi, alii vero vi-  
ventium aliis magis vel minus in hac miseriarum valle amarores  
obvenientes degustarunt atque persenserunt, denasci tandem debent,  
vitamque cum morte commutare. Postquam nimirum summum  
Numen, post tristem lapsum, decretoriam illam publicavit sententiam:  
*Pulvis es, & in pulverem redibis*, Gen. III. 19, omnino ad quoslibet mo-  
riendi necessitas pertransiit. Quare inclutus Gentium Doctor, Rom.  
V. 12. *Sicut per unum hominem*, ait, *peccatum in mundum intravit, & per  
peccatum mors, & sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes pec-  
caverunt*, pariter Ebr. IX. 27. positum est, inquit, *hominibus semel mori*,  
quocum omnino consonat illud Siracidis Cap. X. 17: *Omnis caro sicut  
vestis veterascit, nam fœdus a seculo est: Morte morieris*. Neque ab hac  
mortalitatis lege excepti sunt summi terrarum Imperantes, etiam si  
longæ alias eorum sint manus, neque immensis affluentes divitiis,  
neque geminis felicitatis generibus coronati. Næ! cum catalogus  
connectitur pientissimorum Patriarcharum, ante universalem diluvii  
inundationem viventium, Gen. V., semper, si unicum exemeris Heno-  
chum, cum Deo perpetim ambulans, colophon conspicitur sub-  
iuncta: *Mortuus est!* Sic ex gratia, de primo omnium Parente, Adamo,  
hanc nobis Spiritus S. impertitur relationem, v. 4. 5: *Fuerunt deinde  
dies Adami, postquam genuit Sethum, octingenti anni, genuitque filios & filias.  
Atque (sic) fuerunt omnes dies Adami, quibus vixit, nongenti anni, & tri-  
ginta anni: mortuusque est*. Pariter, ubi ad ultimum Patrum hic re-  
censitorum, scilicet Lamechum laudatissimum, ab altero, ejusdem no-  
minis, sed non ejusdem probitatis, Caini sceleratissimi progenie  
haud felici, rite discernendo, deventum est, dilucida ita fluunt verba,  
v. 30, 31: *Et vixit Lamech, postquam genuit Noachum, quinque & nonagin-  
ta annis, & genuit filios & filias, ut fuerint omnes dies Lamechi septem &  
septuaginta anni: Et mortuus est*. Licet vero eidem defunctorum  
classi Henochum quoque accensere non vereatur Wolffburgius in Obser-  
vationibus sacris in Novum Testamentum p. m. 396; aliud tamen nobis per-  
suadet Sanctus Paulus Ebr. XI. 5. inquiens: *Fide Henoch translatus  
est, & non videret mortem*. Accedit phrasid: *ἐν ἐν-  
δόξω*. Hæc enim de Elia, quem in cælum, sine morte naturali, translatus  
esse, non negat Wolffburgius, adhibetur, 2 Reg. II. 17. וְלֹא מָצְאוּהוּ, & non  
invenerunt eum, imitator linguam doctissimi Jo. Christoph Wolffii, vov ἐν  
αἰσίοις, in Curis Philologicis & criticis in h. l. p. m. 751. Nec est, quod ali-  
quis huic Henochi vitæ in cælos translationi repugnare existimet  
decretum divinum de imminente omnibus ultima mortis hora, nec  
non allegatam ex Ebr. IX. 27. sententiam. Nam intelligenda illa sunt,  
de ordinaria via ac generali regula, quæ non tollitur exemplo uno & altero,  
ut Henochi, & Elia 2 Reg. II. 11. Fuerunt enim causæ peculiare, ut DEUS  
hac μεταθέσει publicum ac peculiare testimonium daret doctrinæ de homi-  
num post hanc vitam permanentia, & resurrectione futura, de immortalitate  
animæ & vita æterna, scribente Nicol. Arnolde in Luce in tenebris Gen. V.  
24. p. m. 20., quibus & hæc adjici meretur causa, ut ista Henochi & E-  
liæ assumptione extraordinaria præluderetur futuræ tunc Servatoris  
nostri

5

nostri ascensioni in cœlos triumphali. Neque tamen non ambabus Theologorum nostratum chorus analogum aliquid mortis, nempe μεταλλαγήν sive *immutationem*, instar illorum, qui vivi olim abripiuntur in occursum Christi 1 Cor. XV. 51., contigisse sublatis in superna domicilia DEI amicis, concedit. Vid. b. Pfeifferi *Dubia vexata* pag. m. 53. Et ut compendium faciam dictionis, summo Numini, consilio sapientissimo, collibitum fuit, unum alterumque extraordinaire mortis naturalis imperio eximere, ut nihilominus omnes ceteri nati viam lethi ordinariam teneantur calcare, quare *Horatius lib. 1, Oda 4.* apposite canentem accipimus:

*Pallida mors æquo pulsat pede pauperum tabernas,  
Regumque turres.*

pariter atque *Claudianum lib. 2. de Raptu Proserpinæ:*

*Sub tua purpurei venient vestigia Reges.  
Deposito luxu, turba cum paupere mixti.  
Omnia mors æquat.*

Huc quoque notabilis veterum, qua mortis necessitatem, conditionem, virtutem ac effectus delineare in deliciis habuere, facit pictura, consistens in compagine ossea, carne, auribus, oculis &c. destituta, cum falce in una manu, & clepsydra in altera, id quod germanico idiomate sic perorantem audimus *Laurembergium in Acerra Philologica Centur. V. p. m. 758. sq.* Wenn unsere liebe gottseelige Alten den Todt und seine Beschaffenheit beschreiben wollen, haben sie es durch ein sonderbahres Contrafait gethan, und ihn folgender massen abgemahlet. Es war ein langes Bild von lauter durren Beinen aneinander hangend zusammen gefügt, ohne Augen, ohne Ohren, ohne Nase, nackend, Fleisch-loß, heßlich, und ungestalt, weder Mann noch Weib. In der einen Hand hatte er eine Sense, in der andern eine Sand-Uhr. Damit haben sie uns die Wirkungen, und die Beschaffenheit des Todes fürgestellt. Denn 1) das Bild hat keine Augen, bedeutet, der Todt sey blind, sehe keine Person an, blende auch, und mache die Augen brechend. 2) Hat keine Ohren, es helffe kein suppliciren oder bitten, sondern es bleibt dabey: Mensch du mußt sterben. 3) Ist es ohne Nase, damit wird angezeigt, es hinderten ihn nichts die Biesen-Aepffel, und der gute Geruch. 4) Ist es nackend, hat kein Kleid, anzudeuten, daß man nackend davon muß, und man nichts im Sterben werde mitnehmen. 5) Ist es ohne Fleisch, bedeutet, der Todt achte der grossen, schönen und starcken Leute nicht. 6) Ist er weder Mann noch Weib, es ist ihm gleich, er nimmt sie beyde dahin. 7) Träget das Bild in der einen Hand eine Sense, damit man Gras abmehet, denn alles Fleisch ist wie Gras; In der andern Hand aber eine Sand-Uhr. Denn der Mensch hat seine bestimmte Zeit.

Ut ut itaque duo illa hæcenus commemorata, scil. *Nasci* atque *Denasci*, ubique terrarum vigeant, oculisque usurpentur; restat tamen cimelium aliquod auro pretiosius fulgenti, quod ex Gentilium, Mu-

B

hamme-

hammedanorum. Judæorum, aliorumque infidelium, gremio plane exulat, & quod usitato verbo: *Renasci*, sive *Regenerari*, Christianorum cætus exprimere solet. Nimirum dum homines nascuntur, & primam aspiciunt lucem, nascuntur peccati contagio infecti, & hinc *fili iuræ natura* (sive vi natiuitatis) *Eph. II. 3*, quandoquidem quod *natum est ex carne, caro est, Job. III. 6*, & quilibet cum Davide conqueri tenetur, *Pf. LI. 7*: *Ecce cum iniquitate formatus sum, & cum peccato calefecit me mater mea*. Sane quemadmodum morbus aliquis corporis molestus, e. gr. calculi, podagræ &c. a Parentibus morbofis, mediante corrupto sanguine, nonnunquam transmittitur ad liberos, qui eapropter *hereditarij* nomine insigniri suevit; ita labes pariter animæ originalis per generationem carnalem, hæreditario velut jure, ad posteros propagatur, adeo ut sicut Parentes peccati hæditate scitent, ita infantes eandem similiter contrahant. Hinc remedium aliquod genuinum DEUS, nostræ miseræ misertus conditionis, præscribere in deliciis habuit, scilicet *regenerationis spiritualis felicitatem*, per sanctam Baptismi undam. *Nisi enim aliquis generatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum DEI*, diserte docente Magistro nostro infallibili *Job. III. 5*. Hac ratione qui ob inquinamentum peccati originalis DEO maxime sordent, ablui hisce fordibus debent, & ab iisdem repurgari, id quod fit per *lavacrum aquæ in verbo Eph. V. 26*. dictum quoque *lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. Tit. III. 5*. O itaque terque quaterque beatam Ecclesiam Christianam! in qua religiosum quoddam fœdus initur, vi cujus summum Numen Baptismi lavacro tinctis benignissime spondet, se patrem eorum benevolentissimum fore, donec viva illi adhæserint fide, e contra Baptismo tincti pollicentur, se totos se DEO pectore mancipaturos esse fideli, unde etiam Baptismus appellatur *stipulatio bonæ conscientie erga DEUM, 1 Petr. III. 21*. Quare verorum est Christianorum, initi illius fœderis baptismalis semper vivere memores, adeoque a turpi Numinis offensa sibi omni cavere opera. Aures quæso vacuas præbeamus *b. Engelschallio in Præjudiciis vitæ Parte I. Num. XIV. §. IX. pag. 615. seq.* Der Priester, als ein Bevollmächtigter GOTTES, hat einen jeglichen Täufling gefragt, ob er dem Teuffel, seinem Wesen und Wercken, entsage, und darauf hat er mit einem theuren Ja angelobet, welches mehr ist, als wenn er einen Körperlichen Eyd geschworen. Will er nun nicht meinendig werden, so muß er unermüdete Sorgfalt anwenden, sich seinem Versprechen gemäß zu verhalten. Ein getaufter Christ soll daher billig allezeit gedencken, er sey in der Tauffe zu GOTTES Ebenbild wiedergeboren, und erneuert worden, das dürffte er durch die Sünde nicht verunehren, noch sich dessen wieder verlustig machen, denn es ist ja wohl die höchste Unbilligkeit, wenn man es machet, wie der Heilige Augustinus schreibet: *Servas imaginem Cesaris impressam in nummis, & non servas imaginem Christi impressam in animis*. Du suchest das Bildniß des Kayserß auf der Münze zu erhalten. Warum suchest du nicht mit grösserer Sorgfalt Christi Bildniß, so in deiner

ne Seele eingepräget worden ist, zu erhalten? Quodsi vero sanctum istud Baptismi fœdus, ex parte hominum, per trangressio- num atrocitatem nefarie violatur & conculcatur, tum non quidem ea tempestate in illud fiduciam collocare possunt perfidi mortalium, ac turpi vivendi licentiæ pulvinar sic supponere, neque tamen id ipsum, tanquam rem nauci & nullius in posterum utilitatis, penitus abjicere coguntur, (ut peregrina hodiernorum Novatorum, sub larva sancti- tatis peculiaris, omnia temerantium, lingua sonare dicitur), sed remi- nisci possunt ac debent, se in fœdus a DEO olim receptos esse, quod ex parte supremi Numinis, constans manet ac immotum, neque ab- rumpitur, *Es. LIV. 10, quia fidelis est DEus neque se ipsum abnegare potest* 2 *Tim. II. 13*, quo pacto in peccati cœnum prolapsis dictum baptisma- le fœdus id præstat commodi, ut de amœna gratiæ divinæ recu- peratione dubitare non habeant opus, imo potius ad citissimam illius pacti instaurationem velut calcaribus quibusdam exstimulentur. Auscultemus hic celebratissimum olim Rotenburgensium Antistitem b. D. *Joh. Ludov. Hartmannum in Pastoralis Evangelico Lib. III. Cap. 29. p. m. 714. seq.* Fœdus DEI cum homine in fide baptizato initum, etsi lapsibus contra conscientiam atrociter a nobis violatur post Baptismum, nequaquam tamen prorsus NB. fit irritum, aut antiquatur, & dissolvitur, ita ut novo fœdere per iterationem Baptismi faciendo opus sit. Verum fœdus misericor- diæ & pacis, cum DEO semel in Baptismo initum, homini ex DEI parte per omnem vitam suam ratum, & sanctum ac immotum est (*Es. LIV. 20.*), agenti modo pœnitentiam, quæ nequaquam nova pactio, sed ad priorem pactio- nem regressio est, ut Lutherus loquitur, & vera, ac integra in plenam possessionem amissæ gratiæ & salutis restitutio, juxta dicta: Desponsabo te mihi in æ- ternum &c. *Os. II. 29.*, Dona & vocatio DEI sunt ἀμεταμέλητα *Rom. XI. 29.* & rel. Paucis interjectis subjicit: Idem veteres similitudine adulteri & nautæ ostendere soliti sunt, quorum ille, salvois & minime iteratis sponsa- libus, fœdus conjugale modo violare, modo instaurare, hic navi excidere & in eadem recipi potest, navi semper salva & integra. Non ergo abjicien- dum est fœdus baptismale, sed si fractum fuerit a mortalium tur- ba, renovandum per veram, seriam atque genuinam cum DEO reconciliationem. Si inter Parentem & filium in musarum quadam Se- de degentem, mutua intercederet conventio, ut ille certam quotannis pecuniæ summam transmittat, & hic eandem debito modo dispenset; post- ea vero Filius Sanctæ suæ promissionis oblitus, opes paternas luxu cor- rumperet, profunderetque, an iste tunc memoratam conventionem, tan- quam plane irritam ac in posterum inutilem, penitus teneretur abji- cere? Annon potius eam in egregios suos usus convertere, & me- diante humili deprecatione, vitæque in melius commutatione, restau- rare quam ocyffime? Geminum in modum non est, cur conventio- nem baptismalem inconsiderato missam faciant animo, qui peccatorum fœdorum recrementis semet conspurcarunt, sed ejusdem renovati- onem citissimam anhelent, oportet, hac fini instituendam, ut fœde- ris tam hilaris iterum reddantur participes, præsertim cum Pater

cœlestis continue lapforum cohortem verbo suo efficacissimo revocare studeat, *expandatque manus toto die*, ac per omne vitæ tempus, *ad populum rebellem, qui ambulat in via non bona, post cogitationes suas, Es. LXV. 2*, paratus, revertentes iterum gratiose suscipere, ac gratæ fidelium societati denuo adnumerare, qua ratione fiet, ut inimici DEi facti, per Evangelii virtutem regenerentur, ac postliminio quasi evadant in acceptos Numinis supremi filios, illisque acclamari jure queat: *Regenerati estis non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum vivens DEi, & manens in æternum 1. Petr. 1. 23.* Neque tamen Sectatoribus duntaxat iniquitatis malitiosæ, qui statu gratiæ divinæ exciderunt, sed etiam quibusvis haud infucatæ pietatis amatoribus, qui paterna DEi affectione hætenus perfruuntur, de fructuosa fœderis baptismalis reparatione, seria mentis æstimatione, cogitandum est, illis quidem, ut in fœderis illius communionem rursus cooptentur, his autem, ut in confortione divina feliciter permaneant, atque quotidie peccatorum ignorantia & infirmitatis humanæ veniam indipiscantur jucundam. Hinc Christianorum primorum concio id inprimis curæ habuit cordique, ut sicut alias, ita etiam quotannis, die solenni, quo Baptismi Servatoris nostri reolebatur memoria, fœdus baptismale sibi revocarent ad animum, revocatumque pie restaurare allaborarent, teste *Fabro Operis tripartiti Tom. I. p. 209.* O! æternum bene iis, qui sic fœdus baptismale rite renovantes, DEo utuntur Patre benevolo, ejusque favorem perennem sibi gratulari queunt, nam manebunt illos omnis generis bona divina insigne lætificantia, quin imo tandem, cum vitæ hujus fabula clauditur, optimis auspiciis insequetur *regeneratio ad vitam æternam*, cujus meminit dulcissimus Servator *Matth. XIX. 28.* Subierunt hæ meditationes animum meum, ubi altera vice lugubri scriptionis genere ultimum fœminæ cuidam laudatissimæ exhibere honorem rogatus sum. Nimirum paulo ante festorum metropolin, puta festum Nativitatis Christi, KRAUELIÆ, matronæ supra laudes positæ, exequias publico indicere debui Programme. Et ecce præfenti tempestate haud multo post ferias Nativitatis peractas, idem iterum officium funereum præstare teneor. Mundum enim, jubente totius Univerſi Moderatore supremo, destituit *Prænobilissima, omnibusque sexus muliebris virtutibus quam maxime exornata Domina, ANNA SOPHIA, nata HOLSTENIA, Conjux vero Viri Prænobilissimi, Consultissimi atque Amplissimi, Domini JOHANNIS DAVIDIS SPALDINGII, J. U. Doct. fulgidissimi, Fautoris sui honoratissimi.* Hanc *natam esse*, inque lucem editam, ipse discessus loquitur, Hanc *denatam* iterum, viva confirmat experientia, Sed *RENATAM* eam pariter esse, id vero in primariis felicitatis ipsius partibus jure reponi merito, nemo mecum non fatebitur. Interim jam ad palmarium, quod mihi incumbit, negotium, in brevi curriculi vitæ recensione consistens, absque ulteriori anfractu, accedam necesse est. *Lucem hanc beate defuncta aspicere cœpit Rostochii, Anno supra millesimum & septingentesimum, sexto, die Augusti vigesimo quarto.*

9  
PARENTEM venerata est Nobilissimum ac florentissimum Dn. CHRISTIANUM HOLSTEN, Civem urbis nostræ, ac Oenopolam spectatissimum, Virum, quem & animi sinceritas, & morum comitas, & ipsa faciei hilaritas singulariter commendabant, & multis aliis præferebant, quem vero in florido ætatis statu, Anno MDCCXXII. die 26 Augusti in superna commigrasse domicilia, multis adhuc constat.

MATREM exosculata est fœminam præstantissimam, CATHARINAM DOROTHEAM SCHULTZIAM, in vivis jam nunc existentem, atque præmaturum elegantissimæ Filiæ abutum acerbis prosequentem lacrymis.

AVUS ipsi, ex linea paterna, contigit Vir integerrimus, ZACHARIAS HOLSTE, Civis oppidi Malchinensis haud postremus;

AVIA autem, ex eadem linea, fuit fœmina ornatissima, DOROTHEA CRULLEN.

PROAVUM habuit paternum, Virum perstrenuum Dominum ZACHARIAM HOLSTEN, primum in copiis Regiæ Majestatis Svecicæ Magistri equitum sparta condecoratum, postea Consulis Malchinensium dexterrimi munia sustinentem.

PROAVIAM vero ejusdem lineæ numeravit fœminam optimam, CATHARINAM KEYSERS.

ABAVO facta est JOHANNE HOLSTEN, Cive ac Oeonomo Malchinensi fidelissimo;

ABAVIA autem, fœmina probatissima ELISABETHA SADDENWASSERS.

Quem admodum vero stemma paternum honestissimos ostendit Majores, ita MATERNUM priori non concedit. Nam in hac linea laudavit

Avum, Nobiliss. Dn. JOHANNEM SCHULTZEN, Civem & Mercatorem Gustroviensium sat inclutum;

AVIAM porro, fœminam æstumatissimam ELISABETHAM ELVERSEN;

PROAVUM item, pereximium Dn. ULRICUM SCHULTZEN, Civem pariter & Negotiatorem Gustroviensium dexterrimum;

PROAVIAM denique, fœminam, spectabilissimam ANNAM PRANGEN.

Ab hac insigni stirpe surculi instar, propagata est, ortumque traxit beate defuncta, cujus tristem jam obitum plangit Viduus mœstissimus, plangunt cuncti virtutis non inficatæ amatores. Neque tamen Parentes pietatis jubare corrusci, tantum de exoptatæ filiolæ suæ teneræ nativitate lætati sunt, sed eo etiam omnes, flagitante id Genitorum Christianorum officio, intenderunt nervos, ut, quæ juxta sœvum naturæ cursum nata esset, labe peccati originalis contaminata, per efficaciam Baptismi lavacrum renasceret, quare quamprimum sacra unda, juxta verbi divini præscriptum, abluta, in jucundum DEi fœdus, gremiumque Ecclesiæ Christianæ recepta est. Neque tantum illa tam necessaria defuncti sunt cura, sed cum lacte quoque materno sinceræ

C

ræ

ræ probitatis delicias instillare nullum non moverunt lapidem<sup>3</sup>, memores effati Paulini *Eph. VI. 4.* *Enutrite liberos vestros in disciplina & admonitione Domini.* Et hæc sollicitudo laudatissima speratum post se traxit fructum, quandoquidem *b. Defuncta* indies succrescens, nihil habuit prius aut antiquius, quam Numen cœleste debita prosequi reverentia, & semper magis magisque tam in cognitione, quam executione voluntatis divinæ proficere, præterea quoque illis animum imbuere præstantiis, quæ sexum fœmininum decent, redduntque commendabilem. Qua virtutum elegantia cum exsplendesceret *Nostra*, eo permovit Nobilissimum, & spectatissimum Dn. JACOBUM CHRISTIANUM SCHLORFFIUM, Civem ac Zytbopæum Rostochiensem, Templique Mariani Præfectum meritissimum, ut connubiale illius ambiret consortium. Quoniam itaque nihil, quod honestum istiusmodi desiderium sufflaminare potis esset, obstabat, solennes celebratæ sunt nuptiæ, Anno supra millesimum & septingentesimum, vigesimo quarto. Neque improle primum hocce exitit matrimonium, quippe ex quo Anno MDCCXXVII. die 4 Augusti, prognata est filia carissima, optimeque morata, ANNA CATHARINA, quæ adhuc per DEI gratiam superstes, cum sanguine, amabiles insimul Genitricis dilectissimæ virtutes hæreditario velut jure accepit, situ autem nunc ac squalore obtecta est, tam inopinatæ morti acerbe illacrymans. Quamvis vero *Schlorffio - Holstianum* conjugium, auspiciis divinis initum, pace quoque, concordia, ac felicitate amœna ex voto coronaretur, placuit tamen supremo, quod omnia moderatur, Numini, vinculum tam arctum ac suave mox iterum dissolvere, quandoquidem prælaudatus *Schlorffius* Anno MDCCXXXII., paulo ante Paschales ferias, in superna evehctus domicilia, Nostram reliquit marito orbam, ac in lugubrem viduitatis statum coniectam. At enim vero solitus est Pater cœlestis suos Amicos nunc vehementer cædere, nunc gratiose refocillare, nunc nubilis exercere, nunc jubilis hilarare, nunc mærore afficere, nunc voluptate perfundere. Id ipsum suo exemplo conducet *Nostra*, quæ enim prioris Conjugis obitu tristissimo in maximos inciderat luctus, ea interjecto sesquianni spatio, blandientem iterum persensit, DEO benignissime dirigente, fortunam, prænobilissimo DN. DOCTORE SPALDINGIO, Viduo hodie luctuosissimo, eam sibi vitæ sociam expectente. Hinc ad secunda vota, post pias preces, transire non dubitavit, nec dubitare opus habuit, quandoquidem illustris Gentium Doctor *1 Cor VII, 39.* sequenti nos impertit instructione: *Uxor ligata est lege, quanto tempore vivit maritus ejus. Si vero obdormiverit maritus ejus, libera erit, cui voluerit nubere, modo in Domino, id quod Romanorum quoque nationi inculcat Rom. VII. 2,* ut sibi aliisque splendide imposuerint cani nonnulli Ecclesiæ Patres, *Tertullianus, Ambrosius, Hieronymus,* alii, nimio cœlibatus amore, iteratum præprimis conjugium inconsiderate denigrantes, & vix digniori habentes loco, quam scortationis fœditatem. Novum itaque cum D. D. *Spaldingio* connubium consummatum est, Anno supra millesimum & septingentesimum, trigésimo tertio, quarta Septembris luce, ex quo societatis conjugalis viridario

dario prodiisse, ac procreatos esse accepimus sequentes quatuor fili-  
liolos. Nimirum Anno MDCCXXXIV. die 28 Aug. THOMAM, qui per  
DEI gratiam adhuc in vivis est, vulnera tamen sua, ob teneram adhuc  
ætatem, nesciens;

An. MDCCXXXVII. die 3 Jun. CHRISTIANUM HEINRICUM,  
qui tamen postridie illius diei, quo per Baptismi sacramentum rena-  
tus fuerat, denatus fuit;

Anno MDCCXXXIIX. die 13 Septembr. CHRISTIANUM HEIN-  
CUM, adhucdum, divina advigilante providentia, viventem;

Denique Anno MDCCXL. die 7 Januar. GEORGIUM FRIDERI-  
CUM, qui æque ac secundus, haud multo post collatam sacram  
ablutionem, mundum destituit.

Ita pignoribus carissimis conjugale hocce pactum cœlitus beatum  
est, quod nullis quoque discordiæ turbibus, nullis rixarum tempestati-  
bus patuit, aut concussum unquam fuit. Veteres Romanos memo-  
riæ proditum est, mutuam animorum consensionem, inter nobile  
conjugum par vigentem, expressuros, formulam adhibuisse sequen-  
tem: *Absque ulla querela.* Sic Romæ inventa, & Thomæ Reinesii in  
*Syntagmate antiquarum inscriptionum* p. 733. studio conservata legitur ve-  
tusta hæc inscriptio:

D. M.  
Cauliæ Januariæ  
Vix: Ann. XXIII. Mens. III.  
L. Ofellius Artemidorus  
Conjugi B. M. F. & Sibi  
Cum qua Vix: Ann. XVII.  
Sine ulla querela.

Vid. Celebratiss. DN. Lic. à Seelen, Fautoris nostri certissimi, Deli-  
neationem felicis conjugii e Nummis Consularibus Antonianis, qua DN. An-  
tonio à Lunenburg, Republicæ Lubecensis Consuli, felicissimum conjugium  
exoptat p. 9. sq. Pariter Rubium Celerem monumento suo incidi procu-  
rassè accepimus, se cum Caja Ennia, vitæ socia amantissima, vixisse  
Annos quadraginta tres, & octo menses, sine ulla querela, allegante Ano-  
nymo in *der Kunst sein Glück empor zu bringen*, p. 300. sq. Idem cer-  
te encomium promeretur matrimonium b. Defunctæ cum suo Spal-  
dingio, pacatum atque exoptatum, quod scilicet ductum fuerit *absque  
ulla querela.* Ubi enim regina virtutum, nimirum pietas sincera, do-  
minium obtinet, ibi pedissequarum datur multitudo, in quibus jure  
numerari mutuam, inter conjuges, concordiam, nemo facile ambi-  
get. Quamvis itaque nulla, donec vitæ consortium duravit, querela  
castum potuit interrumpere amorem; querelam tamen *mæstissimo*  
Dn. Viduo extorsit tam dilectissimæ costæ amissio, qua de ejus ample-  
xu avulsa est atque abstracta. Enixa nimirum erat *Nostra* filiolum  
tenellum. At quæ hocce partu insignem prius crearat lætitiâ,  
ea postmodum eo majorem excitavit tristitiâ, quoniam non



solum infans iste postero a nativitate die denatus iterum est, sed etiam tempore haud adeo multo interjecto, ipsa puerpera, viribus nimium exhausta, diem obire debuit supremum. Quare ut de mortis, quæ b. defunctam lucis usura orbavit, genere condoceamur, audire juvabit Virum Prænobilissimum, Amplissimum, atque Experimentissimum DN. CHRISTIANUM FRIDERICUM STEVERUM, Medicinæ Doctorem fulgidissimum, atque Practicum celebratissimum, Fautorem nostrum, & Cognatum mellitissimum, cujus de *Historia Morbi* sic sonat relatio fide dignissima:

*Affectuum plurimorum Puerperis familiarium, & mortem sæpissime ipsis inducentium, causam & originem ex utero esse, quotidiana non solum testatur experientia, sed & Beate Defuncta exemplo suo proh dolor! comprobavit. Transiit quidem illa graviditatis tempus sine notabili incommodo, nisi quod ultimis demum mensibus præmatura aquarum ex utero effusio & continuum stillicidium non levem molestiam & sollicitudinem ipsi crearet. Iusto interim tempore, quanquam propter harum aquarum dispendium, non sine magno labore, edidit puerulum sanum & vegetum, qui tamen altero statim die, accedentibus convulsionibus internis, vivere iterum desiit. Editum hac ratione partum secundinæ nec sponte, ut naturaliter solent, nec adhibita manuali opera, sequebantur; & uteri hæmorrhagia enormis, cum animi deliquio, Puerperam, ante earum exclusionem lecto & quieti committere adstantes cogebat. Cum autem sanguinis fluxus & inde ortæ animi defectiones non cessarent, obstetrix manum quantocytus admoveere & ante uteri plenariam contractionem, secundinas debite promovere denuo iussa fuit. Successit etiam in tantum hoc negotium, ut funiculus umbilicalis cum tunicis fœtum ambientibus, placenta etiam uteriana, sed propter consistentiam molliorem facile diffuens & in frustula divisa, in lucem fuerit protracta, cum hæmorrhagiæ remissione. Interim dolores post partum & spasmi uterini Puerperam valde excruciant, ut remedia antispasmodica, pellen-tibus tamen juncta, illis statim opponere visum fuerit; a quorum usu etiam paucis interjectis horis excludebatur frustum sanguinis coagulati pugni magnitudinem excedens, cui deinde circa noctem secundi diei sequebatur mola inusitata & magnitudinis & pondus aliquot librarum facile superans. Hoc concretum informe in altera extremitate qua utero forte co-*  
*hæse-*

hæserat, nigricans & corruptum apparebat, unde iustus oriebatur metus utero quoque labem hac ratione esse impressam. Verum cum post peregrini huius hospitis exturbationem, Lochia rite fluere, & ægrota neque de doloribus post partum consuetis neque de ardore interno querelas amplius duceret, febris quoque circa tertium & quartum diem accedens, motus tantum febriles ad lactis proventum facientes, referret, de salute Puerperæ bene sperare integrum omnino erat. Sed ecce! die puerperii sexto Lochiorum fluxus subito cessabat, an ex refrigeratione, an ex alia causa, non æque constat, febris accedebat inflammatoria, continua acuta, & licet omnia quæ Medicina in tali casu suppeditare valet tam interna quam externa sanitatis præsidia continuo adhiberentur, anxietas tamen præcordiorum, abdominis intumescencia, vigiliæ continuæ, subsultus tendinum cum artuum dolore, virium omnimoda prostratio &c. uterum summe inflamatum & sideratione tactum, imo sanguinis massam & nervorum systema jam inde affectum indicabant. Gradu etiam adeo præcipiti invalescebant memorata symptomata, ut Matrona egregia animam, nullis phantasiis turbatam, die morbi octavo cælo redderet.

Ita quidem largas Nostra, in verno ætatis flore velut refecata, exprimit lacrymas, querelas, singultus Dn. Viduo afflictissimo, & Cognatorum coronæ luctuosissimæ, quibus omnibus præmaturus obitus non potest non vulnera infligere acerbissima. Enim vero b. Defuncta in lecto vocationis suæ decessit, diemque obiit supremum. Si miles strenuus in prælio contra oppositos hostes cadit, dicitur in lecto honoris mortuus. *Er sey auf dem Bette der Ehren gestorben.* Et Nostra, dum ex puerperii casu vitam deposuit, in lecto vocationis exanimata est, *Sie ist auf dem Bette Ihres Berufs gestorben;* nec exanimata tantum, sed quoque in cœlestes translata domus, nec translata tantum, sed etiam ineffabili donata voluptate, omnes delicias inmundanas infinitis post se parasangis relinquente. O quam egregie Apostolorum haud infimus, Paulus, mulieres partus doloribus ex decretoria DEI sententia obnoxias, deprædicare felices non veretur, scribens *1 Tim. II. 14. Salvabitur mulier per generationem liberorum, si manserint in fide, & charitate, & sanctitate, cum modestia.* Criticorum atque Exegetarum filiis discutienda in præsentem relinquam, quæ in illustris huius effati explanationem vergere, lucemque affundere queunt eidem. Scopus præfixus non patitur, ut in latum hunc campum me immittam. Alias possem prolixo sermonis filo ostendere, verbum pluralis numeri: *Si manserint*, non cogere nos, ut mulierem & infantes una intelligi existimemus, cum Drejero in controver-

sis cum Pontificiis, p. m. 981, quoniam non ad unam personam, sed sexum muliebrem, respectum dirigit laudatissimus Apostolus; possem item profligare nœnias Auctoris illoti in Tract. ineptissimo: *Mulier non homo*, p. m. 42. ed. Germ., non æternam sed corporalem hic indigitari beatitudinem. Id autem tantum adjicere collibitum est, in maximo errore versari Pontificiorum catervam, ex hocce dicto comprobaturam, non sola fide, sed operum quoque bonorum merito, nos ad salutem pervenire æternam, quia *mulier dicitur salvari per generationem liberorum*. Apposite enim nodum hunc solvit Nic. Arnoldus in *Luce in tenebris Part. 2. p. 462*: *Propositio diæ hic usurpatur pro év, sicut Rom. II. 27. diæ γράμματος, quod vers. 29. exponitur év γράμμασι. Sensus ergo est: Mulier salvabitur in generatione liberorum, modo permaneat in fide. Quomodo enim res naturalis, qualis est τεκνογονία, salutem merebitur? Ergo dicere vult Apostolus: Licet dolor partus sit peccati pœna. Gen. III. & ostendat peccatum in muliere esse, hoc tamen non obstante, servabitur, si manserit in fide, & Servatori constanter adhaerit. Quodsi jam ad b. Defunctam regredimur, certissimum est, eam in generatione infantis, dum in lucem eundem edidit, & in hoc vocationis negotio animam exhilavit, æterna & ineffabili donatam esse salute, quoniam in fide in Servatoris obedientiam consummatissimam ad ultimum usque vitæ halitum, gratia assistente divina, perseveravit. Audiamus ea de re testificantem, Confessionarium illius fidelissimum, Virum plurimum Rev. Amplissimum & doctissimum Dn. M. Gerlingium, Templi Mariae Pastorem vigilantissimum & religiosissimum, Fautorem nostrum, & in officio Ecclesiastico Collegam suavissimum:*

Rogatus, ut de b. defunctæ, humanitatis alioquin & prohibitatis inter nos conspicuæ, extremis vitæ diebus, testimonium exhibeam fide dignum; haud sine læta animi commotione εὐρεθείας illius, quam experiendo cognovi salutarem medicinam decumbenti subministrans, recordari, ejusque mentionem facere possum. Enixa erat per DEi gratiam beata Puerpera filium, & viribus licet corporis destituta esset, laudibus tamen DEum omnibus animæ viribus cobonestare non omisit. Molestias ex partu residuas pio tulit animo, certissima quippe à promissionibus sacris, de ulteriori divino auxilio, nisi summo rerum Moderatori aliud fuerit visum. Cumque pusillus modo natus ad perfectionis summæ statum cœlitus avocaretur, non stoica quidem indolentia, Christiana tamen continentia, abitum hujus adspexit, probe gnara, eum potius ad aliam & meliorem quidem vitam fuisse procreatum, quam ad hanc miseram multisque calamitatibus circumseptam. Crescebant abhinc quotidie corporis miserice; sed haud frangebatur ab illis animus DEo deditus, satius quidem putans, si mortalibus  
 & vin-

15

*ē vinculis egredi liceret, quam in illis commorari. Ut autem ad omnia, quæ DEUS forsan decrevisset, instructa pariter atque roborata esset b. Defuncta, prævia peccatorum confessione devotissima, absolutionem sacerdotalem, Cœnamque sacram à Redemptore paratam, flagrante appetivit desiderio. Quibus acceptis, nullius rei nisi beatæ analyseos cupida, refrigerationem adeo sibi oblatam acceptare oculis remuentibus negavit, additis sc. hisce: **Meine Erquickung wird bald kommen.** Quibus verbis cum animam cœlestia gaudia anhelantem proderet, spe quoque sua non fuit destituta. Exercitio enim fidei suæ ac patientiæ ad insequentem diem bene peracto, DEUS T. O. M. inter preces & benedictionem sacerdotalem ad superævexit animam piam, ubi in fruitione summi Boni infinita sat bene respirans æternum gaudebit.*

Sic ergo denata est SPALDINGIA, sed ita denata, ut *renata* potius dicenda sit, quippe quæ beatorum cœlitum consortio associata, æternum agit triumphum.

*Nascimur in lacrymis, lacrymis quoque vita madescit,*

*Et vitam rursus linquimus in lacrymis.*

*O multas hominum lacrymas! Absterget at omnes*

*Omnibus electis ipse DEUS lacrymas.*

Hæc itaque non possunt non faucia mœstissimi *Vidui, Liberorum, Cognatorum*, pectora efficaci demulcere delinimento. Sciunt enim quam optime, non nisi jussu Imperatoris supremi *Nostram* ex statione sua discesse, sciunt quam optime, eam non esse mortuam, sed ad meliorem statum translata, sciunt quam optime, eam ex omnibus miseriarum procellis eluctatam esse, ac gloriæ cœlestis affluentia beatam. Quilibet vero exoptatum b. *Defunctæ* discessum perpendens, futuram sui ipsius salutem dispiciat, toto ingeminans pectore:

*Dum me mori est necesse,*

*Noli mihi tunc deesse.*

*In tremenda mortis hora,*

*Veni Jesu absque mora.*

D 2

Vos


16


Vos interim, Cives Academici OO. honoratissimi, etiam atque etiam oro atque obtestor, velitis frequenti comitatu ultimum honoris officium b. Defunctæ exhibere, atque vestræ infimul mortalitatis memoriam sic refricare.


*Conventus fiet in Templo Mariano, hora audita Ima post meridiem.*

**P. P. sub Sigillo Rectorali,**

An. MDCCXL. die 28 Jan.







LBMV Schwerin 33  
000 195 545







ENTEM venerata est Nobilissimum ac florentissimum Dn. ANUM HOLSTEN, Civem urbis nostræ, ac Oenopolam num, Virum, quem & animi sinceritas, & morum comita faciei hilaritas singulariter commendabant, & multis aliis ant, quem vero in florido ætatis statu, Anno MDCCXXII. gusti in superna commigrasse domicilia, multis adhuc con-

TREM exoscultata est fœminam præstantissimam, CATHA-DOROTHEAM SCHULTZIAM, in vivis jam nunc existatque præmaturum elegantissimæ Filiæ abitem acerbis pron lacrymis.

US ipsi, ex linea paterna, contigit Vir integerrimus, ZACHA-OLSTE, Civis oppidi Malchinensis haud postremus; A autem, ex eadem linea, fuit fœmina ornatissima, DORO-CRULLEN.

AVUM habuit paternum, Virum perstrenuum Dominum RIAM HOLSTEN, primum in copiis Regiæ Majestatis Sve-gistri equitum sparta condecoratum, postea Consulis Malchi-munia sustinentem.

ro ejusdem lineæ numeravit fœminam optimam, EYSERS.

et JOHANNE HOLSTEN, Cive ac Oeonomo mo;

m, fœmina probatissima ELISABETHA SA-

no vero stemma paternum honestissimos ostendit RNUM priori non concedit. Nam in hac linea

f. Dn. JOHANNEM SCHULTZEN, Civem & viensium sat inclutum;

o, fœminam æstumatissimam ELISABETHAM

em, pereximium Dn. ULRICUM SCHULTZEN, gotiatorem Gustroviensium dexterrimum;

lenique, fœminam, spectabilissimam ANNAM

dirpe furculi instar, propagata est, ortumque traxit is tristem jam obitum plangit Viduus mœstissimus, tutis non infucatae amatores. Neque tamen Pa-

re corrufci, tantum de exoptata filiola suæ teneræ t, sed eo etiam omnes, flagitante id Genitorum

io, intenderunt nervos, ut, quæ juxta vetum na- fset, labe peccati originalis contaminata, per ef-

rum renasceretur, quare quamprimum sacra unda, rascriptum, abluta, in jucundum DEi fœdus, gre-

Christianæ recepta est. Neque tantum illa tam sunt cura, sed cum lacte quoque materno since- ræ

